

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7436

**Autre(s) référence(s) :** Round 1450

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Longues-sur-Mer, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1185-1189]

**Lieu d'émission :** Bur

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens appartenant à l'abbaye de Longues.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XIX, col. 83-84.
- b. Farcy Paul de, *Abbayes de l'évêché de Bayeux*, tome 1, Cerisy, Cordillon, Fontenay, Longues, Laval, Moreau, 1886-1888, t. 4, Notre-Dame de Longues, p. 25-27.
- c. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCLVII, t. 2, p. 408-410.
- d. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 311, p. 392-393 (édition partielle).

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1450.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 408. Gautier de Coutances, archevêque de Rouen depuis 1185.

Texte établi d'après c

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ballivis et fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse ecclesie Beate Marie de Longis, et monachis ibidem Deo servientibus, omnes subscriptas rationabiles donationes sibi factas et cartis donatorum confirmatas. Ex dono meo, medietatem ecclesie Sancti Hylarii de Parva Villa, habendam in liberam et perpetuam elemosinam, cum omnibus

pertinenciis suis, et terram de Pupevilla quam Radulfus Druel tenuit. Ex dono Hugonis Wac et Baldewini filii sui, locum ipsum in quo abbatia de Longis fundata est cum virgultis et vivariis adjacentibus, et molendina cum aliis rebus ad eundem locum pertinentibus, et ecclesias de feodo predicti Hugonis in Normannia, scilicet ecclesiam de Longis, et ecclesiam de Rebercil, et medietatem ecclesie Sancti Hylarii de Parva Villa, et ecclesiam de Esnegervilla, et culturam de Transversana, et culturam de Lovia, et culturam de Faberilis, et landam de Longis, et decimam molendini de Sancto Gabriele et denariorum suorum censuariorum ejusdem ville, et furnum de Longis, et decimam denariorum de censis (?), et decimam molendini de Rebercil, et partem prati ante molendinum, et partem suam molendini de Runcheta, et unam acram terre ad campum, et terram de Gernerui (?) quam habuit Gaufridus Wac, et mansuram Guiardi cum communi pastura ville. Ex dono Willelmi Paienelli et Alienoris uxoris sue, medietatem ecclesie de Ria. Ex dono Willelmi de Aremanca et Willelmi et Henrici de Graeio, ecclesiam de Aremanca. Ex dono Alveredi de Solineio et Reginaldi de Marinneio, ecclesiam de Marinneio. Ex dono Willelmi de Agerne et Ade uxoris sue, medietatem ecclesie de Casteillun. Ex dono Hamonis Pischerne, ecclesiam de Maupertuis, et unam acram terre in alodiis apud Baiocas, et duas garbas decime de feodo suo de Manvex, et decimam molendini ejusdem ville, et decimam de Cusseio de feodo Gilleberti de Montfichet. Ex dono Willelmi de Humetis et Ricardi filii sui, octo sextaria ordei in molendinis de Vasta Riparia, et unum sextarium frumenti in reddito suo de Maisio. Ex dono Philippi de Columberis, unum modium frumenti de decimis suis, et piscariam de Furco aque. Ex dono Willelmi de Mandevilla, comitis Essexe, dimidium modium frumenti et dimidium modium ordei in molendino suo de Reviers. Ex dono Philippi de Croleio, unam mansuram in Croleio ante portam castelli sui, et tres acras terre et tres virgatas, et tenementum Martini clerici de Viana apud Manerium. Ex dono Willelmi de Romara, tres sextarios frumenti et tres sextarios ordei in suo molendino Bernardi apud Ver. Ex dono Willelmi de Vilers, dimidium modium frumenti in terra sua de Basenvilla. Ex dono Rogerii Gernum, pratum suum de Ponte Aulvii, et terram suam que ibi est usque ad viam que vadit ad Perrum, et duas partes decime molendini sui, et pasturam ad centum oves in terra sua de Videvilla et ad viginti animalia et ad quatuor equos. Quare volo et firmiter precipio quod predicta abbatia de Longis et monachi in ea Deo servientes omnia suprascripta habeant et teneant in libera et perpetua elemosina, bene et in pace, libere et quiete, integre et plenarie et honorifice, in ecclesiis et decimis, in terris et redditibus, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis, in virgultis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut carte donatorum testantur.

Testibus : Waltero Rotomagensi archiepiscopo, Henrico Baiocensi, Willelmo Constanciensi, J. Ebroicensi episcopis, M. et p. abbatibus de Cadomo et de Cerasiaco, Willelmo de Humetis constabulario, Willelmo Filio Radulphi senescallo Normannie, Seerio de Quenci, Hugone de Creissy, Thoma Bardulfi, Willelmo de Mara, Johanne de Mara, Hamone Pincerna.

Apud Burum.